





Dum  
**JACOBÆAM**  
 Tibi  
 tam fausto omine  
 jungis  
**RAPSILBERE,**

Tibi  
 non nisi fausta

precor.

Johannes Christianus Bogel/

SS. Theol. Stud.

Ips. Fest. Nupt. MDCCX. d. 29. Julii

LIPSIAE, Literis Zeidlerianis.



**R**apsilbere, Tuum celebrare poë-  
mate Festum  
Mos simul ac pietas officium-  
que jubet,  
Sed veniam timido da jejunoque Poëtæ,  
Qui nescit justis nectere verba modis.  
Nunquam, quod fateor, Parnasi culmina vidi,  
Nunquam de vatuum, non nego, fonte bibi,  
Nec placet aspiduis precibus lassare camænas,  
Sicut Versificum plurima turba solet;  
Nam quoties Erato (castos hæc cantat amores,  
Si modo quid veri Naso Poëta canit,)  
In mea vota fuit confueto more vocata,  
Muta tamen nullos reddidit illa sonos,  
Sed veluti Baal, monstrum illud inane Deorum,  
Aut ruri, aut somno credo sepulta fuit.  
Ah! gemui, Verum est, semel insanivimus omnes,  
Perdoluique meas disperiisse preces!  
Ite leves Musæ, quarum male sanus amator  
Elleboro digni carminis autor erit.

Præ-

Præstabit, vacuus ne prorsus debitor adsim,  
Quantumvis crudum composuisse metrum;  
Invida quandoquidem versum Natura negavit,  
Sufficiat voto Te coluisse pio:  
Opto igitur, Patrone, Tibi, (Deus annue voto!)  
Optat quod forti munificoque Boæ (\*)  
Bethlehmi populus totus, senioque verendi,  
Totius patriæ præcipuique viri:  
Det Deus, ut sicut Jacobi foemina Rachel  
Intratura Tuam sit nova nupta domum!  
Det Deus, ut, velut hic, per amatam Tu quoque  
costam  
Familiam possis ædificare Tuam,  
Crescas fertilibus felix in finibus Ephrat,  
Ac in Bethlehmo nobile nomen habe.  
Omen inest votis, Tua nam lectissima sponsa,  
Quam sociam thalami gestis habere Tui,  
Maneueto placidæ Rachelis nomine gaudet,  
Forma una est, idem cum pietate pudor,  
Illa suum toto dilexit corde maritum,  
Hæc Tibi se totam corpore, mente dabit.  
Omnia convenient, unum tamen excipe, pro  
quo  
Olim devota voce rogabo Deum,  
Ut tandem pariens Tua non sit moesta Ben-oni,  
Sed Bejaminum læta datura Tibi.

(\*) Ruth. IV, 11.

Tu-

Tuque Boæ similis, quin munificentior illo,  
Ille dabat, quando tempora messis erant,  
Te toto toto donantem vidimus anno,  
Te parcum vidit, quod scio, nulla dies.  
Ipse etiam tacitus stupeo, si quando recordor,  
Quot Te Patrono, quot benefacta tuli.  
Si Tibi pro quovis annum Deus adjicit unum,  
Methusalem secula plura vides,  
Si Tibi pro quovis gnatum Deus adjicit unum,  
Abdonis numero germina plura vides.  
Hinc quia pro meritis meritas Tibi fundere grates  
Exuperat vires ingeniumque meum,  
Accipe, quod repeto sincero pectore, votum,  
Accipe pro longo carmine verba duo:  
Crescas fertilibus felix in finibus Ephrat,  
Ac in Bethlehmo nobile nomen habe.  
Et (per Rachelem Te obtestor!) perge, Patrone,  
Tu meus esse Boas, & Tuus Obed ero.



78 M 496



TA-DO

K018

b7



R

Dum  
**JACOBÆAM**  
Tibi

to omine  
ngis

**LIBERE,**

Tibi  
fausta  
cor.  
istianus Bogel/  
ol. Stud.  
DCCX. d. 29. Julii  
eris Zeidlerianis.

